B. N. C
FIRENZE
1058
11

Digitized by Google

1058. l1

Digitized by Google

1058
11

Digitized by Google

THESES THEOLOGICÆ

IVXTA MENTEM

S. P. N. AVGVSTINI MAGNI ECCLESIÆ DOCTORIS

QVAS

ADM. REV. P. SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

PAT. AVRELIO FIORAVANTI

FLORENTINO ORDINIS

Eremitarum eiuſdem S. P. Auguſtini.

CONSECRANS

CVR. F. IO. ANTONIVS DE VMBROSIS FLORENTINVS

Magiſter Studii defendendas exponit

Sub aſſiſtentia Adm. Rev. P. Magiſtri

DOMINICI IGNATII CYRIACI ROMANI

In Conventu PP. Auguſtin. S. Spiritus Florentiæ

Studiorum Regentis.



FLORENTIÆ, MDCCII.

Apud Cęſarem de Bindis, Sub Signo S. Bernardi.

Superiorum permiſſu.

A I
1053
11

1056.11

Digitized by Google

ADMODVM

REVERENDE PATER:

QVAS *Aurelius* Thæſes dictavit, alter *Aurelius* ut ſibi nunc commendatas excipiat. Docuit Pater ut filii diſcerent, & quæ didiciſſent tamquàm plena ſalutis palam oſtenderent, cum autem in illis publicè oſtendendis imbecillis filiorum animus interdum deficiat, aliquem opus eſt eis *Fratrem*, tamquam exemplar, proponere, in quo *Patris* Spiritum agnoſcant, cognitumque imperterriti ſuſcipiant. In te igitur reſpicio, Sapientiſſime Pater, quæ Protoparentis ſunt defendenda exponens; Quis enim in te Magnum quodammodo non legit Aurelium ? Illius ſiquidem doctrina imbutus ejuſdem in ſuggeſtis imitaris ardorem, dum poſtquam Re-

li-

Digitized by Google

ligioni te genuit, innumeros verbo, vel Cœlo peperiſti, vel pietati redivivos reſtituiſti. Celebriores te loquentem Italię admiratæ ſunt Vrbes, & prè omnibus Roma Religionis Magiſtra, cuius Cives ſe tibi pluries erudiendos cõmiſerunt, ut quid vitandum, quidve amplectendum, tamquàm tui veri diſcipuli perciperent, ne religio atque pietas patiatur. Iſta verè floruit Provincia, quando te Moderatore non tantum tuo mirata eſt in Nomine flores, ſed redolentes in omnibus ſenſit Cænobiis, omnium ſcilicet virtutum odorem Spirantes. Florentinum hoc, & Senenſe quid tuæ Beneficæ vigilantię non debet Cęnobium? Hoc unum ſufficiat, quod dum illis præfuiſti, ſemper Aurelium te demonſtraſti, qualem & mihi Theſes nunc propugnanti adeſſe deſidero, ut Theſibus, & mihi nunc & ſemper patrocineris. Vale.

I.

DE DEO VNO.

1 NOn dantur duo Dii, alter bonus, alter malus; neque plures Dii boni; ſed unicus eſt Deus, iſque ſummè bonus, quia omne bonum.

2 Simpliciſſimus eſt Deus in ſe ipſo, nullo modo compoſitus: non ex materia, & forma: non ex eſſe, & eſſentia: non ex natura, & ſuppoſito.

3 Metaphyſicum conſtitutivum Dei noſtro modo intelligendi conceptum, non eſt infinitas, non aſſeitas, ſed vita intellectiva à ſe.

II.

DE DEO SCIENTE.

1 COgnoſcit Deus omnia poſſibilia in ſe ipſo, & tamquàm in cauſa, & tamquàm in verbo: peccata verò per ſuam bonitatem moralem.

2 Cognoſcit etiam omnia futura libera, tum abſoluta, tum conditionata: non tamen ob eorum phyſicam in æternitate pręſentiam.

3 Scientia Dei adæquatè dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentię, & viſionis; eſt concauſa futurorum, non tamen ſecũdum munus viſionis.

III.

DE DEO VOLENTE.

1 VOluit ſe Deus ad extra communicare, voluitque ab æterno: hęc tamen volitio non fuit neceſſaria, sed libera.

2 Nec voluit abſolutè perfectiora, ſed aptiora fini à ſe intento. Voluntate antecedente vult omnium ſalutem, conſequente non vult.

3 Ejus exercitii liberi conſtitutivum non eſt aliquid reale ſupra entitatem actus, ſed eſt ſummum, perfectumque dominium.

IV.

DE DEO CREANTE.

1 PRobabile eſt, quod Cælum, Terram, & omnia, quæ in eis ſunt ornamenta, Deus fecerit in inſtanti.

2 Probabile etiam aſſerimus, ipſum creaſse Angelos ante conditum Orbem: omnes à ſe conditos Angelos, certum eſt, bonos creâſse.

3 Fecit hominem rectum, immortalem, ſanctum: eius ſanctitas, & immortalitas ſupra, rectitudo juxta naturam fuit.

V.

DE DEO PERMITTENTE.

1 PErmiſit Deus, aliquos Angelos, & primum hominem peccare: homo autem peccato ſuo omnes in ſe poſteros vitiavit.

2 Hinc poſteri dum in ſe ipſis fiunt, peccatum contrahunt originale, quod eſt concupiſcentia cum reatu: ly *reatus* ſtat pro formali.

3 Hoc peccatum, non per animæ traductionem, ſed per carnalem concupiſcentiam transfunditur in poſteros.

VI.

DE DEO REPARANTE.

1 IVſtiſſimo ſuo judicio potuiſſet Deus hominem ſic perditum cum ſtirpe ſua vitiata in perditione relinquere, at miſericors noluit.

2 Expoliatum enim gratuitis, vulneratum in naturalibus, reparare ſancivit beneficiis omnino indebitis.

3 Vnigenitum enim ſuum verum Deum, hominem fieri decrevit: hinc ſolùm Adæ peccatum mittendi ad nos Redemptoris occaſio fuit.

VII.

DE DEO PRÆDESTINANTE.

1 OB merita Redemptoris multos Deus homines prædeſtinavit ad gloriam: non tamen ob merita propria illorum.

2 Prædeſtinatio Angelorum non fuit ob merita Redemptoris: non fuit etiam gratuita eò prorſus modo, quo gratuita fuit prædeſtinatio hominum.

3 Permiſſio peccati in hominibus fuit effectus prædeſtinationis; perſeverantia finalis in Angelis non fuit ex gratia, eo prorſus modo, quo eſt in hominibus.

DE

VIII.

DE DEO REPROBANTE.

1 Reprobavit Deus ab æterno multos Angelos, multoſque homines, qui nunquàm vitam conſequentur æternam.
2 Reprobatio hominum, tum negativa, tum poſitiva eſt ex juſtitia: hinc nullus conqueri debet, quare ſit reprobatus.
3 Nullus reproborum, cui non eſt facta ſuæ reprobationis revelatio deſperare debet de ſua æterna ſalute.

IX.

DE DEO PRÆCIPIENTE.

1 Legem tulit Deus, quæ bona eſt, bonus etiam illius timor; at concupiſcentia, cui prohibet conſentiri, mala eſt.
2 Præceptis moralibus, ad quæ omnes tenentur, ceremonialia adjecit; hæc, translato jam Sacerdotio, non amplius obligant.
3 Non præcipit Deus impoſſibilia: dantur tamen peccata ſecundum quid neceſſaria, quæ à Deo prohibentur.

X.

DE DEO IVSTIFICANTE.

1 Deus nos iuſtificat formali, & vera iuſtitia, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit.
2 Hęc forma iuſtificans non eſt ſola fides in Chriſtum, ſed habitus charitatis infuſus, vel per Baptiſma, vel per Sacramentum Pœnitentiæ.
3 Diſponitur adultus ad juſtificationem per actum Fidei, Spei, & Charitatis: dolor ſine ullo in Deum amore non eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem.

XI.

DE DEO HOMINE.

1 Vnigenitus Dei Homo factus eſt; in ipſo Deus, & Homo ſunt unum unitate ſuppoſiti: hoc myſterium naturaliter cognoſci non poteſt.
2 Pro ſuo peccato purus homo ſatisfacere non potuit, etiam gratia Dei inſtructus: propterea ſatisfecit Deus homo de rigore juſtitiæ.
3 Offenſa, pro qua ſatisfecit homo Deus finita fuit. Habuit rigoroſum pręceptum de morte ſubeunda, quod liberè implevit.

XII.

DE DEO PVNIENTE.

1 PVnit Deus homines propter peccata: non omnia mala ob peccata immittit: permittit aliquando peccatum in pœna n peccati.
2 Ob peccata venialia non punit homines pœna æterna per se; punit verò in eternum ob peccata lethalia, etiam neceſſaria n. ſecundū quid
3 Omnes ſine Baptiſmo decedentes Deus non ſolùm excludit à Regno Cælorum, sed etiam ad gehennas damnat, afficitque ſupplicio.

XIII.

DE DEO REMVNERANTE.

1 BOna ſterilia non dantur apud Deum: hinc benè agentibus bona confert, nec bonum opus ſine proportionato præmio relinquit
2 Præmium reſpondens Fidei merito eſt clara viſio Dei in Patria: Dei. autem fruitio reſpondet merito dilectionis, seu charitatis.
3 Viſio Dei erit ſine ſpecie impreſſa ejuſdem, non autem ſine verbo mentis formato à Beatis. Intellectus, & lumen, non ſunt duæ cauſæ partiales.

XIV.

1 AD hęc theses addimus de Trinitate, tam Scholaſticè, quam poſitivè debendendas.

558183

1058.11

2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google